

1353 insulæ est, unde nobilissimum insulæ sinum nominatum arbitror: quidam ad Congeriam memorant. Verum ubi cunque dimicatum sit, plane constat, utranque classem, ubi hostis in conspectu fuit, ad pugnam processisse, ac magnis hinc inde armis concursum. Genuenses, quia non multo ante adversus eos longe potentiores prospere pugnassent, victoriam sibi polliceri: Veneti iniquitate locorum, non hostium virtute id accidisse rati, aut illius pugnæ ignominiam eo die sibi ademptum iri volebant, aut ad unum extingui; erexerant ad id ipsum & socii animum. Quo factum est, ut non majoribus viribus quam animis sit concursum. Sunt qui tradant, Genuenses, conspectis Venetis signis, magnopere timerent cœpisse: quippe qui, audita Venetorum appropinquatione, cum Aragonia classe, priusquam Hadriacus hostis adesset, configgere studentes, ad locum celeri cursu venerant. Juverunt ad hæc Veneti & socii vires suas confilio, junctis tenaci nexu in procinctu navibus, præter decem Venetas ex omni numero lectas, quibus jussus est Joannes Sanutus, quum tempus adesset, rem gerere. Apparuit vel ex hoc uno, quo animo Veneti eo die conflixerint; quippe quos catenatis navibus aut vincere oportuit, aut omni spe fugæ prærepta, ad unum cadere. Sunt qui dicant, Joannem Sanutum cum decem navibus primo hostem excepisse, inde totam mollem classis cum cetheis subsidio securam. Sed parum credibile est tam temere pugnam commissam, ut decem Venetae triremes tribus & quadraginta Ligusticis fuerint objectæ, quæ ingenti navium multitudine circumventæ, momento temporis fuissent oppressæ; proprius fidei est, eas post classem quasi subsidio locatas, ac Præfectos jussos, ubi Ligurem medio ardore pugnæ occupatum vidissent, subito prorumpentes, ex transverso hostem ferire: atque ita Ligurem undique a fronte & a lateribus gravatum vinci contigisse. Verum seu arte, seu vi, seu utroque potius id contigerit, satis compertum habemus, atrocissimo marte eo die pugnatum,

ac